



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Propter debitum, defuncti differtur sepultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

gendi sepulturam, in quocumque loco voluntas extiterit, siue in monasteriis, siue in aliis locis.

ANNO
CHRISTO
1179.

CAP. II. *Item papa Leo tertius.*

Matth. 27.
Luc. 10.
Matth. 10.
1. Tim. 5.

2. Cor. 1.

Premerb. 22.

Nos instituta maiorum patrum considerantes, illorum decreta firmando statuimus, vnumquemque in maiorum suorum sepulcris iacere debere, vt patriarcharum exitus docet. Nulli tamen denegamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & magister sibi alienam elegit non propriam, qui sine peccato erat. Sed quia *dignus est operarius mercede sua*, tertiam partem iudicii sui illi ecclesie censemus iure dari, in qua caelesti pabulo a principio sui exordii refectus cognoscitur, vt iuxta Apostolum, sint socii consolationum, vt fuerunt passionum, & sic demum, vbicumque libitum fuerit, eligat sepulturam; aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per prophetam locutus est, dicens: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*, sub vinculo anathematis detestamur & contradicimus, nec nostrum est, nec alicui * vndique vel sacerdoti vel fidelilaico vnquam licuit, * f. vii. que sine magna delicti culpa, in talibus proferre iudicium, &c. ea quidem quae mortuo posito ante sepulturam eius, facta fuerint, vel exigendo quod debitum esse dicitur, vel confessiones aliquas, aut fideiussores, aut pignora capiendo, penitus amputari praecipimus.

CAP. III.

*Item Alexander tertius Cantuariensi archiepiscopo. Pars capituli
Qua fronte. supra de excommunicatis.*

Super eo vero, quod defuncto aliquo, interdum religiosae personae, interdum ecclesiasticae, interdum etiam saeculares, postulant sibi debita solui, quae defunctus ipsis debebat, & nisi soluantur, ne corpus defuncti sepultura tradatur, vocem appellationis emittunt: hoc tuae fraternitati duximus respondendum, quod si defunctus de rebus suis disposuit, & debita disponere praetermisit, nisi de solutione debitorum (dummodo sit soluendo) ab herede vel consanguineis defuncti sufficiens cautio detur, corpus eius, postposita appellatione, ecclesiasticae sepulturae non tradetur.